

Erik Pontoppidan Johann Joachim Weidner Heinrich Jacob Sivers


Erici Pontoppidani Parochi Hakenbergensis, in Dania, Ad Virum Summe Reverendum Jo. Joach. Weidnerum ... Epistola Apologetica, Continens Modestas vindicias opusculi germ: Glaubens-Spiegel/ Dissertationi Theol. quæ de Fide Salvifica inscribitur, Autore Dn. M. Heinr. Jacobo Sivers, Rostochii sub Præsidio Weidneriano habitæ, oppositas

Altonaviæ: apud Jonam Korte, 1731

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86192262X>

Druck Freier  Zugang





86

Abolent. Sympliciorum
36.

Fa - 1092 (88)

ERICI PONTOPPIDANI

Parochi Hakenbergensis, in Dania,

AD

VIRUM SUMME REVERENDUM

JO. JOACH. WEIDNERUM,

Philos. & S. S. Theol. D. & P. P. O.

Facultatis Theol. Seniore, Rever. Ministerii

Directorem, & ad D. Mariæ Pastorem,

EPISTOLA
APOLOGETICA,

Continens

Modestas vindicias opusculi germ:

Glaubens-Spiegel

Dissertationi Theol. quæ de

FIDE SALVIFICA inscribitur,

AUCTORE

Dn. M. HEINR. JACOBO SIVERS,

Rostochii sub Præsidio WEIDNERIANO habitæ,

oppositas.

ἀληθένει ἐν ἀγάπῃ.

ALTONAVIÆ, apud JONAM KORTE,

1731.

ERICI PONTOPIDANI

Parochus Helsingor

VIRVM SUMME REVERENDVM

IO. JOACH. WEDNERTVM

Philol. & S. Theol. D. & P. P. O.

Facultatis Theol. Seniorum, & vni. Magist. &

Directoris & ad D. Theol. Pastoris

EPISTOLA

APOLOGETICA

Commissa

Thobas vniuersitatis & vni. vni. vni.

Spinozae (S. 171)

Dissertationi Theol. & de

EP. SALV. V. G. J. & C.

Magist. & ad D. Theol. Pastoris

Dr. M. HEINR. JACOBO SVEDER

Magist. & ad D. Theol. Pastoris

ALTONA VMD. P. P. O. & C.



CENSURA

Maxime Reverendi Episcopi Otthiniensis.

E Pistolam hanc Apologeticam perlegi, & inveni Reverendum Dn. Auctorem in priori suo libro, SPECULUM FIDEI, ita sensisse, ut defendi possit, & deinde ab Adversario suo ita tractatum, ut defensio plane licita imo necessaria sit. Cur enim de terminis litigamus, cum de re conveniat? & alios odiosis nominibus traducimus, antequam se explicaverint? Etenim Scriptura Sacra fundamentum doctrinae coelestis est, & Doctorum Ecclesiae Sinceritas veritatis sepimentum, quorum terminos, sive recipiamus, sive relinquamus, dummodo idem sentiamus, nihil interest. Ea tamen Auctoris modestia summè laudanda est, quod credat, cum res postulat, melius mutari terminos, & substitui alios, finis interpretationi minus obnoxios. Quare dignam omnino Epistolam hanc typis publicis, imo gravitatem causae effagitare ut edatur, censeo, & summe Venerando Nobilissimoq; Facultatis Theol. Decano commendo. Scripsi Otthiniae d. 20. Jan. 1731.

Jacobus Lodberg.

X 2

Vir

32.



Vir plurimum venerande!

AB ipso limine obviam eundum erit admirationi quam, ut opinor, in **Te** excitabunt praesentes liniolae, utpote quae **Tibi** veniunt ab homine, qui nec a **Te**, nec a quo **Tu** huc usque fatis es cognitus. Desine mirari, **Vir venerande**, sum etenim Pontoppidanus iste, quem, licet insontem, vehementi calamo nuper adortus est Magister quidam Rostochiensis, **Tuo** auxilio consilioque stipatus. Quinque menses sunt, & quod excurrit, cum ex **Novis Litterariis** cognovi, editam agitatumque esse in celebri **Vestro Lyceo** **Dissertationem Theologicam**, quae de **Fide salvifica** inscribitur, licet parum vel fidei vel charitatis spiret, auctore **M. Heinrico Jacobo Sivers**. Vidi insuper, quod nullus putaveram, **primarium dicti laboris scopum**

scopum eò vergere, ut, quam ego ante quatuor annos
 edidi de exploranda fide Tractatiuncula ceu Crypto-
 Calvinistica, Synergistica, imo Fanatica & lectū peri-
 culosa confutaretur, piisque animis suspecta reddere-
 tur. Viso titulo, rem ipsam anxius anhelavi, ean-
 demq; tandem, licet difficulter & tardè, propter inhi-
 bitum cum Hamburgensibus commercium, adeptus
 sum. Lecta relectaque Dissertatione Siveriana, non
 potui non mirari, **Te, Vir celeberrime,**
Tuis auspiciis juvasse, **Tuoque** Præsidio fovisse
 ludicras istas & inanes nugas, quibus Auctor in cœ-
 lestem veritatem, ut de me nihil dicam, petulanter
 garriens, hoc agit, ut in Ecclesia Dei turbas excitet,
 & sibi alijsq; tempus perdat, perdens simul ipse, non
 levem illius æstimationis partem, quam suis sibi scri-
 ptis & meritis in alia studiorum genera conciliavit.
 Profecto obstupui ad conspectum Magnifici Nominis
Weidneriani, velitationum istarum titulo im-
 mixti, vixq; oculis meis credidi, de tanto Ecclesiæ
 Doctore, longe meliora majoraque mihi pollicitus.
 Dubius aliquantò hæsi, an Vestram Dissertationem
 refutatione mea excipere deberem, nec ne? Dissua-
 sere alia negotia, dissuasit indoles ad contentiones pa-
 rum propensæ, dissuasere amicorum nonnulli, super-
 vacaneum ducentes & minimè necessarium, Disputa-

tori cuius Academico sese opponere. Verum *deur̄gor*
Opov̄ides aliud svaferunt, cumq; animadverterem, me
 non Synergismi & Calvinismi tantum, sed & Fanati-
 cismi publicè esse accusatum, necessarium quodam-
 modo duxi, calumnias istas & infamiae notas, quas
 meo nomini inurere satagit Dn. Siverus, non quidem
 in caput ipsius retorquere, sed a me avertere & vi ve-
 ritatis propulsare. Quamobrem malo Tecum, **Vir**
summè venerande, quam cum **Tuo** disci-
 pulo, juvene forsitan parum sui compote, manus con-
 ferere. Ad **Te**, inquam, ceu ad Præsidem obste-
 tricemq; nominatae Dissertationis me convertere pla-
 cet, placeat quoq; **Tibi**, æquo animo excipere, &
 ea, qua par est, charitate Christiana interpretari, quæ
 pro vindicanda non tam mea persona, quam divina
 veritate, mox adducam. Animus mihi non fuit, in-
 tegram Dissertationem Vestram sub Examen vocare,
 sed missis iis, quæ contra alios disputantur, ad
 quæ, si visum illis fuerit, respondere, ipsi facile
 potuerunt, ea solum, quæ me tangunt, & momen-
 tum aliquod habent, examinare & veritatem justè
 vindicare.



IN præfamine, pag. 3. videor Auctori inharere vestigiis Calvinianorum. Quid hic regeram, nisi tritum illud: *Multa videntur, quæ non sunt?* Habeat suas sibi visiones Dn. Siverus, nec illas in lucem spargat ad denigrandam aliorum famam. Profecto in accusatione tanti momenti, non sufficit dixisse: Videtur mihi, suspicor, vereor vel tale quid. Poëta est Dn. Siverus, quod fateor, non inelegans, cujus Patriota, non quidem quæ Satyricus, sed quæ Poëticus, meo aliorumque palato sapit. Ideirco, si Dissertationem suam carmine quodam complexus fuisset, visionem antè dictam, in me planè injuriam, isto licentiæ generi transcripsissem; quod præter Poëtas & Pictores nemini competere in proverbio est. Ad rem quod attinet, vestigia Calvinianorum neutiquam premo, nisi videro luculenter, pressisse eodem & expressisse mentem Jehovæ in verbo expressam. Ad Tuum judicium provoco, *Reverende Weidnere*. Agitur de primaria, quæ nobis cum Reformatis intercedit controversia, videlicet de æterno electionis decreto, sitne idem absolutum, an respectivum ad fidem salvandorum, & possitne tuto confidere se esse ex horum numero, quisquis sentiat Christum per fidem in se habitare? Hic Calvinianus videor Epicritæ, cur? quia hominem de sua salute sollicitum, & electionis suæ signum discipientem, non ad clausum vitæ librum, sed ad cor suum remitto, juxta illud Paulinum 2. Cor. 13. 5. *vos ipsos tentate, an*

ficio

*fidei in fide; vos ipsos explorate, annon agnoscitis. Vosmetipsos; videlicet Jesum Christum in vobis esse, nisi rejectanei estis. Quicquid me hic appellitet Dn. Siverus Apostolum habeo communem mecum causam facientem, & communia mecum opprobria gestaturum. Nec scio ex Nostratibus quenquam mentem meam hucusque impugnasse; præter Dn. Siverum, qui qualem velit certitudinis explorationem, mihi quidem divinandum relinquit. Cor suum inspicere & inventa fide in Jesum Christum, ovabundo vultu ad firmum electionis decretum respicere, spe infallibili gaudere, triumphare, jubilarè hoc illi somnium Calvinistico-Fanaticum audit, & quorsum denique prolabitur Auctor? mireris, pie Lector, rem probe ponderando, tollit enim, quantum in illo est, tollit manifestè omnem solutis certitudinem, in castra Papistica transiens, dum in Calvinistica me detrudere frustra conatur. Etenim, verbis Paulinis de operatione salutis cum pavore & tremore male applicatis, electionis & experientiz fundamento everso, velim dicatur mihi, quodnam supersit certitudinis fundamentum: Scriptura, inquit, superest, secundum quam firmiter & tenacissime demonstrandum est, in quo consistat fides Salvifica, & quomodo reflexive presentiam solabilis istius signi invenire ac confirmationem illius impetrare debeamus. Certè hic sibi, non mihi, contrarius est Auctor; nonne enim exploratio fidei, & hinc hausta experientia, Sivero tam suspecta, me fatente, ad normam scripturæ est instituenda, quid hic Fanatici? Nonne eadem illa Scriptura plus vice simplici electionis æternæ mentionem facit; & quidem hunc in finem, ut firma salutis spe erigantur, & ad agendas DEO gratias incitentur illi, qui prævia exploratione seria, comperiuntur, se ex numero verè fidelium simulq; ex numero electorum esse. Quid hic Calvinistici? Fingit præterea Animadversor, me fingere infallibilia Florum DEi indicia, quæ tamen illi maxime fallacia videntur. Hic vera fides, seu apprehensio & applicatio meriti Salvatoris, quam ego teste toto libro, electionis & *indocias* signum fallere*

fallere nescium constitui fallacis iudicii vocabulo teterrimè
 conspurcatur & suspecta redditur. Ceterum, quam seriò à
 Reformatorum absoluto decreto abhorream, quamq̃ apertè
 in me injuriosè sit Animadverfor, vel exinde satis liquet, quod
 passim, quantum voluit instituti ratio, præsertim vero P. I.
 Cap. 4. §. 2. p. 33. ibid. Cap. 8. §. 3. p. 85. P. II. Cap. 4.
 §. 1. p. 266. ibid. Cap. 5. §. 7. p. 284. disertis verbis, dogma istud
 fiduciæ individuali, quam graviter urgeo, noxium & contra-
 rium rejecerim, confutaverim & à piis mentibus alienissi-
 mum esse jufferim. Inspiciantur loca citata, & apparebit, ne
 minimam quidem Calvinismi suspicionem in me cadere posse.
 De Fanaticismo, in ipsius Dn. Autoris cerebello, obstetrican-
 te Pseudorthodoxia, nato mihiq̃ per injuriam afficto, idem
 esto iudicium. Consolarentur me, si ejusmodi convitiis af-
 fligi possem, præter Scripturam S., exempla tot illustrium
 & de Ecclesia Christ. optime meritorum virorum, cum qui-
 bus naufragium facere dulce est. Hic revoco in mentem
 elegantissimi Castellionis verba Defens. S. contra Calv. Libr. de
 calumnia p. 8. *Est, inquit, hodie is mos quorundam, ut à se
 dissentientes protinus vocitent Hereticos: adeo ut hoc nomen, quia in
 justissimum quemque conjici solet, consuetudine propemodum pulchrescat
 apud nonnullos.*

Differtationi Siverianæ pag. 6. & 7. scrupulose inquiritur
 in sensum dictorum quorundam Apostolicorum, quæ ego
 ad demonstrandum quid sit vera fides, quid non sit, opuscu-
 mei pag. 3. ex Epist. Pauli ad Gal. 3. v. 23. 1. Petr. 1. v. 5. &
 Jac. 2. v. 19. adduxi. Ad singula distinctè respondere, nec
 permittunt scripturæ Epistolice limites, nec urget necessitas,
 fatente ipso Dn. Auctore. Dictum primo loco allegatum, ab
 aliis multis, non à me solo ita exponi, de reliquis duobus
 potuerat idem asserere. Inspiciatur, si placet, Promptuari-
 um Biblicum Crellio-Fesselianum pag. mihi 366. Hoc unicum
 largior, quod in allegatione Dicti Petr. cu pa vel amuenfis
 B
 mei,

32.

mei, vel typographi permutatus sit numerus, ita ut pro Cap.
3. legi debeat Cap. 1.

Pag. 8. perstringit Auctor salubria ista, & nemini, ut
opinor, nisi ipsi, inconcinna verba Tract. mei pag. 4. *Ran*
aber auch mit allen dem zur Hölten fahren. Hoc adeo
illi est invisum, ut asserere non dubitet, *profane magis nihil dici*
posse, quam quod verbum Dei, vel cognitio & confessio rerum
divinarum, de quibus in antecedentibus sermo fuit, in infer-
num simul sumatur abs incredulis. Quis hic non videt & ridet
stupendam Auctoris vel simplicitatem, vel contradicendi libi-
dinem. Primo loco observare debuisset, verba ista: *mit*
allen dem / Germanis idem esse, ac si dicerem: *dem allen*
obnerachtet: Latinis: nihilominus, non obstante, &c. Deis,
si vel maxime Siverus in mea verba vult esse severus, atque
vim illis inferendo, urget significationem Præpositionis: *Mit*/
quid obstat, quo minus mens mea, sic quoque intellecta, cum
veritate consistat? En statum Controversiæ! Num hypocrita
talis, qualis loco adducto describitur, videlicet ampla verita-
tis cognitione, ex sacro codice hausta, instructus, ad loca
infernalialia migrare possit, *mit allen dem* / non abjecta hac
cognitione, quæ post decessum, æque ac ante eundem, men-
ti illius quasi insculpta manet? Quid hic quod non concedi
debeat? Quid profani, ut vult Dn. Siverus? Id, ait, ma-
xime profanum est, quod *verbum Dei in infernum simul sumatur*
abs incredulis. Profecto incredulus nimis est Auctor hoc non
credendo. Credunt ipsi Diaboli, & contremiscunt, Jac. 2.
quia nôrunt verbum DEi, & severam iudicis de se latam
sententiam. Credunt eodem modo, scilicet quoad nudam
notitiam & assensum, reprobi, in extremo die dicturi:
Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, in nomine
tua Dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus?
Matth.

Matth. 7. Quid in quod eadem illa veritatis agnita, sed neglecta memoria in damnatis superstes, non exiguam infernalium poenarum partem efficiet, & infaustas animas aeternum discruciat. Confer. Libr. Sapient. 5. v. 2. seqq. De ipsius verbi divini ad infernum relatione, nihil ego vel legi vel scripsi unquam, & quæstionem hanc apud Rostochienses forsitan, non alibi natam, Rostochiensibus, si libet, discutendum relinquo.

Pag. Dissert. 9. §. 9. iterum Fanaticus videor Dn. Sivero, quia opusc. mei pag. 3. fidem veram & salvificam exposui per des reuenden Herzens Zuflucht zu Christo / und Ergreifung seines Verdienstes. Displicet hic mentio Contritionis, sic enim ille: *Quando vero poenitentiam hic includit, eandemque præsupponere videtur. NB. more Fanaticorum, ceu medium, quod jam fidem antecedens, si non formaliter eandem introducat, conjungi tamen cum eadem debeat, & ceu causa indirecta concipienda sit, tunc utique ex hoc capite mihi etiam suspectus manet* Prodit hic Auctor, & quisquis impia hac ejus effata probaverit, animum, non à fide minus, quam à poenitentia alienum. Invisum eo usq̃ illi est nudum contritionis vocabulum, ut ubi de fide agit̃, ne cogitare quidem de prærequisita cordis contritione dignetur. Oremus pro Dn. Sivero, ut ipse, acta prius, seria poenitentia, discat demum credere, deq̃ credentium statu melius sentire; tunc profecto dolebit & revocabit, qua olim in veritatem divinam evomuit scommota. Confundi posse vel debere contritionem cum fide, nec ego nec sana mentis quisquam asseruit; Cohærere vero easdem, nexu arctissimo, indiviso & indivulso, quis nisi apertè impius negare audeat? At, si cohæreant, si in categoria relationis considerari debeant, ita ut altera ad alteram respiciat, nec altera sine altera existere ullo modo possit, quid impedit, quo minus definitioni fidei præmittatur mentio cordis contriti? Nonne Fanaticismum quoq̃ in naso Auctoris redoleat ista Joh. Baptista

Marc. I. respicite & credite Evangelio? ut alia taceam, ipse
JESUS, Doctor fidelissimus Matth. II. ubi ad se venire, id
 est, in se credere jubet, quisquis sub onere peccati laborat,
 quisquis justitiæ fame & siti premitur, luculenter satis ostendit,
 prærequiri ad fidem, cor verè contritum & ob peccata
 seriò dolens, utpote quod solum capax est gratiæ, quia suam
 sentit miseriam, solum potest in Christum confidere & sperare,
 quia de suis viribus & meritis desperat, deq; sua salute actum
 putat, nisi interveniret efficacissimum Salvatoris meritum.
 Huc respiciunt veteris cantilenæ verba, quæ vulgo quidem in
 ore natant, sed raro in corde pensitantur: **Solch grosse
 Enad und Barmherzigkeit / sucht ein Herz in grosser
 Arbeit.** Quid hic indicatur, nisi meum istud; **Des reuen-
 den Herzens Zuflucht zu Christo?** Confer. Apol. A. C.
 edit Rechenb. p. 86. ubi prorsus ad S. S. & meam mentem. ita
 Majores nostri: *Fides illa, de qua loquimur NB. existit in peni-
 tentia, h. e. concipitur in tremoribus conscientia, qua sentit iram
 DEi adversus nostra peccata, & querit remissionem peccatorum & libe-
 rari a peccato. Et in talibus terroribus & aliis afflictionibus debet hac
 fides crescere & confirmari. Quare non potest existere in his, qui se-
 cundum carnem vivunt, qui delectantur cupiditatibus suis; & obtem-
 perant eis &c.* Plura hujus generis testimonia facile ex L. L.
 Symbol. German. Ecclesiæ, præsertim ex Apol. A. C. adduci hic
 possent, nisi res sua luce radiaret, & vel tyronibus Doctrinæ
 Christianæ esset notissima. Discant itaq; Magistri Rostochien-
 ses, magistra, tam præcipue Sacra Scriptura & Libris Symboli-
 cis, quam fidelium experientia, vivam & veram fidem, locum
 non habere, nisi in corde conerito, hujusq; mentionem non
 tantum non esse negligendam, sed & omni studio inculcandam,
 ubi de fide ex vero agitur. Non enim quæ conjunxit Jehova,
 homo separet. Propterea, si hoc ex capite Fanaticum me ju-
 dicat Animadverfor vel alius quispiam, sciat me floccifacere
 censu-

cenfuram istam, non ridiculam minus quam impiam, & perversum Auctoris animum, non meum Fanaticismum ostendentem. Eo prohi dolor! res hodie pervenit, ut qui Orthodoxia titulo, alius verè Orthodoxis per calumnias dempto & crepto, gloriantur, ipsi in teterrimos & periculosisimos errores prolabantur. Scilicet isti sunt veritatis vindices & custodes, qui in sacratissimas & maxime practicas veritates palam sæviunt, grassantur, & ad debellandam non veritatem minus quam pietatem signa quasi Mavortia tollunt.

Dissertat. pag. 10. hæc contra me habet Epicrita: *Præsupponit Dn. Pondoppidanus pag. 5. seqv. quod in hac vita imago divina amissa restaurari debeat atq; possit NB. modo ad gradum illo, quem passim signavit.* Pergit jam ad evincendum prolixius 1. J. restaurationem dictæ imaginis non intelligendam esse de ipsius substantiæ transmutatione, nec 2. J. de plenaria & absoluta restauratione. Rem probaturus, diffundit se præter omnem necessitatem, in præsidium suum convocans testimonia celeberrimum Theologorum. Hæc omnia si contra me attulit Dn. Siverus, putandum est, illum vel mentem meam neutiquam intellexisse, licet sit eadem intellectu facillima & perspicua, vel etiam volupe ille fuisse, in suo sibi cerebro errorem fingere & fabricare, eum duntaxat in finem, ut cum imaginario hoc hoste feliciter consistendo, rem præelare gessisse idiotis & simplicioribus videatur. Nec enim ego imaginem divinam de essentia hominis esse, nec eandem hac in vita restaurari vel redintegrari NB. absolutè & perfectè posse, unquam asserui, siq; hoc à me factum putat, monstretur mihi pagina. Dicit simpliciter Siverus, me hunc restaurationis modum & gradum indicasse, sed NB. dicit contradicendi pruritu, & provocho ad verba mea, quæ à recepta nostratibus sententia, ne transversum quidem unguem discedunt. Conferatur opusculi mei P. III. Cap. 4. §. 3. 4. 5. ex quibus abunde patèbit, me neutiquam Perfectismum tueri, quem dicunt absolutum sive perfectè perfectum, hunc enim

B 3.

nec

32

nec oeconomia foederis gratia requirit, nec praestitit unquam humana natura, extra personam Θεωφύρατος spectata; E-
contra perfectionem partium [quam quia palam negare non
audet Dn. Siverus, obscurare & imminuere pro virili co-
natur §. 15. Lit. d. & §. 16. Lit. e.] per totum Librum,
prout potui, commendavi, inculcavi, & quanquam non
ad salutem, tamen homini salvando necessariam duxi
dixique.

Pag. 17. §. 17. sic prorumpit Auctor: Abs re & ἀπὸ
σκοπῆς sc ibitur [quæris, à quo hæc scripta? nescire me fate-
or] *Pi terea ex legis consideratione cognoscere imaginem divinam
licet. Est enim lex divina sanctitatis, justitiae, ceterarumque DEi
virtutum nitidissimum speculum, cumque summa omnium virtutum
divinarum in amore plenissimo, quo & se & res à se conditos amat,
consistat; ita quoque summam legis in amore DEum aliosque homines
amare debemus, consistere Servator ipse docet Matth. 22. Exulant
hæc omnia à meo libro, non profus à mea mente, sed cum
mea non sint, licet pro meis venditentur, non est, quod in me
suscipiam aliena vindicare.*

Iterum Pagina 18. §. 18. mihi acceptum refert, quod
de meo non est. Nescio, quo consilio hoc ab Auctore
factum.

Pergendum jam ad pag. 24. §. 22. & seqv. ubi ad verba
opusculi mei pag. 5. Cap. 1. §. 4. Soll nun das durch den
Sünden-Fall verlohrene Bild GOTTES &c. præ stupore
exclamat Auctor Dissertat. præmissisq; nonnullis, quæ contra
Hallenses, mox Pietistarum nomine insignitos facere debent,
rad me vertitur, inquiring: *Quomodo ergo admittere possumus,*

quod

quod fides nihil sit aliud, quam restaurata imago DEi in hominibus lapsis? Bone DELLIS! Annon Adamus in statu integritatis fidem habuit? sed an is etiam ferebatur in Christi meritum & Redemptorem generis humani? Cum vero is ipse primus homo habuit imaginem divinam sine fide relativa ad satisfactionem Christi contendente, et fides ipsius, quod præcipue adhuc monendum, in statu integritatis non fuit ipsa ejus imago divina [quid ergo boni habuit homo extra hunc omnis boni fontem? atque ejus demum effectus erat [id quod probatione indiget] quomodo erga peccatoribus fides fiet ipsa forma imaginis divine, et quomodo cum fide ullo ex fundamento commutabitur imago divina? Observetur hoc loco, ipsum Adversarium pro me verba facere, quatenus Adamo nondum lapsio, fidem rectissime tribuit; Ast ubi mox subjungit, fidem istam non fuisse relativam ad Salvatorem, quod per se clarum, quia non agrotus medicum non curat, quid inde sequitur? dicam paucis, id saltem sequitur, quod fides Adami stantis differat à fide Adami lapsi NB. non tam Subjectivè sed Objectivè, aliud enim objectum anhelabat eadem illa fides, nempe statui suo congruum, & eadem illa fiducia, qua Protoplasti in statu integritatis adhærebant SSanctæ Trinitati seu creatori & benefactori simpliciter spectatæ, eadem, inquam, post lapsum, gradu, non essentia mutatâ, ferebantur præcipuè in benignissimum Messiam, per Prol-Evangelium, speciale fidei objectum constitutum. Quæ cum ita sint, ruit per se præcipuus argumenti Siveriani nervus, donec probaverit Auctor, audacissimum istud assertum, quod fides Adami adhuc stantis, non fuerit ipsa ejus imago divina. Nonne fuit egregia lux in intellectu? En notitiam & assensum! Nonne fuit tenerimus amor in voluntate & affectibus? En fiduciam! Neget jam qui poterit, easdem esse & fidei & imaginis divinæ, tam ante, quàm post lapsum spectatæ partes essentielles, sit licet objectum pro diversitate

status.

status & conditionis diversum. Hinc argumentor: Quæcun-
 que conveniunt in partibus in toto quoque conveniant necesse
 est. At fides & imago DEi ita. Ergo. Humillime quidem
 fateor, rem esse maximè arduam, misellis nostris ingenis, lu-
 mine divino tantum non plane destitutis, & exigua saltem
 ex parte cognoscentibus in essentiam imaginis divinæ, ante
 lapsum consideratæ altius inquirere. Nec mirum, si in deli-
 neanda re tam occultâ haud parum dissentiant interpretes et-
 iam nostræ Ecclesiæ, quorum alii aliorum modo mentem,
 modo verba taxant. Posterius mihi accidisse fateor, ultro-
 que largior Dn. Siverum nec unicum nec primum fuisse,
 qui ista opusculi mei verba, ubi fides exponitur per ipsam
 imaginem divinam restauratam, in examen revocavit. Si
 quoque reliqua, quæ contra me habere contendit, ejusdem
 farinæ fuissent, potius de levando in posterum per immuta-
 tionem vocabuli offenculo, quam de scribendo Apologe-
 tico, cogitasset. Fuerunt ex amicorum numero nonnulli,
 qui fraterne monuerunt, dictionem istam non modo insoli-
 tam, sed & minus adequatam videri posse, si non in omni-
 bus, certe iis, qui vel simplicitate vel præjudiciis decepti,
 verbis inconsuetis offenduntur. De reliquo quieverunt illi,
 & quiescet forsitan Dn. Siverus, ubi mentem meam habue-
 rit bene perspectam; fuit enim & est adhuc illa: fidem
 sub specie imaginis divinæ consideratam initio libri [in se-
 quentibus capitibus distinctius loquor] ceu omnis boni com-
 pendium ostendere, amplissimoque sensu, per hanc phrasin
 indicare, non tantum ipsum fiducialis apprehensionis actum,
 sed & universum pietatis habitum, i. e. cum fructibus ramos,
 truncum & radices. Nec ego tanè, quod probe notandum,
 inter nostrates primus existo, qui hac docendi methodo u-
 sus. Potueram forte ex probatissimis Scriptoribus asceticis [de
 Scholasticis vel Systematicis hic non queritur] haud paucos
 in partes meas vocare. Sit instar omnium unus Arndius,
 qui non tantum in Postilla Evangel. Domin. Cantate, Conc. I.
 P. II. p. m. 119. 6. amplissimo hoc sensu fidei vocabulum
 usurpat,

usurpat, sed & precipue in Veri Christianismi Libr. 5. Cap. 2. disertis verbis fidem & novam creaturam, sive imaginem renovatam & restauratam, unum idemq. esse rectissime affirmat. En verba! Es ist nichts anders / [agitur in toto hoc Capite de nova Creatura] als die erleuchtete gläubige Seele / auch nichts anders / NB. als der lebendige Glaube / der durch die Liebe thätig ist. Denn der wahre Glaube ist das ganze N.B. Systema oder Wesen des neuen Lebens / darumb ein Hypostasis, eine Substantz / genennet wird / weil er alles im wiedergeborenen Menschen thut / also daß auch Christus durch den Glauben in unsern Herzen wohnet &c. Ceterum optime B. Lutherus : Sceletatum est, inquit, cum noveris plium, & sanum esse alicujus sensum, ex verbis incommode dictis statuere errorem.

Displicet porro Epicrite pag. 24. §. 25. summum Nomen à me Cap. 1. §. 5. pag. 6. appellari : Ein ewiger Vater der Geister. Item displicent eodem loco hæc verba : Das die mittelste unter diesen Versohnen / aus grosser Erbarmung und Liebe zu uns allen / sich wahrhaftig mit unserer Menschlichen Natur vereiniget habe. Dubito futuram, non dicam inter Lutheros tantum, sed & inter Christianos quendam, exceptis Rostochiensibus, cui hæc sordeant. Leget, cui curæ est, quid his contrarium habeat Auctor, & deprehendet, illum denuo cum umbra vel phantasmate pugnantem.

C

Mox

32

Mox quoque loco citat. illa mea: *Wer dieses weiß/ der ist gelahrt genug / und darff nothwendiger Weise nichts mehr wissen zur Seeligkeit /* mihi pag. 8. mordet & perstringit, Auctor, ac quis credidisset immo somnasset, sanæ mentis quæquam hic improbaturum? Videamus ergo, quid hic mali? *Certe*, inquit Siverus, *non contrahi debent Auditoribus methodi doctrinarum, sed excitandi magis sunt omnes, ut crescant secundum occasionem & modulum ingenii ac capacitatis suæ*; Ephel. 4. 15. Collost. 1. 9. & 11. 1. Petr. 2. 2. 2. Petr. 3. 18. In locis adductis ne gratia quidem invenire licet, mihi contrarium, vel falsa Auctoris hypothese stabilindæ inserviens. Etenim quod in cognitione veritatis æque ac in studio sanctitatis indices crescere, & hac quoque ex parte ad imaginem DEi magis magisque renovari debeant mentes Fidelium, id est, quod non solum non negavi, verum etiam vel eo satis comprobavi, quod in usum & gratiam simpliciorum, non ad provocandas lites Academicas, Opusculum quæstionis compilaverim, sicque imputatio Siveriana, vel ab omni veritatis Specie abludit. Fallitur autem Dn. Siverus, & alios fallit, ubi pessimè contendit, methodos Doctrinarum Auditoribus contrahi non debere, idque eo sub pretextu, quod oporteat in agnitione veritatis crescere quasi contraria essent hæc duo, cum tamen subordinata sint & maximè consentanea. Quid? quod contractio ista vel via compendiaria, Auctori invisæ, non necessaria minus, quam proficua & apertè utilis sit simplicioribus erudiendis. Testis sit *B. Lutheri Compendium*, cetero dignissimum, vastisque multis Voluminibus longè anteferendum. Quid vero continet idem ille *Lutheri Catechismus minor*, quod in brevissima mea Synopsi neglectum? Debuisset Animadversor ostendere,

dere; vel unicum Fidei Dogma fundamentale à me fuisse
 ommissum, priusquam nimiz brevitatis vel injustæ con-
 tractionis me postulasset: Debuisset attendere, me per ver-
 ba: Darff NB, nöthwendiger Weise nichts mehr
 wissen / appertè loqui, non de curiosis, sed de neces-
 sariis, quæ in solatium multorum, qui præter necessita-
 tem de sua simplicitate conqueruntur & contristantur, sol-
 licitè distinguenda sunt à præter fundamentalibus, quæ abs-
 que salutis dispendio ignorari possunt. Debuisset tandem
 attendere, quæ sit Differentia inter Contractam vel Com-
 pendiariam, licet essentia integram omnium veritatum
 scientiam, & ampliorem uberiorémque earundem cogni-
 tionem. Posteriori per verba mea obicem non posui,
 dum priori spem salutis feci. Nudà dogmatum recensio-
 ne docui rudiores, quot & quænam illis scitu sint neces-
 saria, non vero gradibus cognitionis eorundem dogma-
 tum limites præfixi. Aliud enim est, scire multa; ali-
 ud, scire in paucis multum. Multum quidem, non
 multa habemus mundo annuncianda. Unica est via, ve-
 ritas & vita, consistens in agnitione unius DEI & ejus,
 quem misit, nempe JESUM Christum, in unione & lu-
 mine Spiritus Sancti patefactum. Præter hunc nihil scire
 inter meos cum magno illo gentium Doctore discupio. Si
 visum fuerit supremo ovium Pastori, gregem pascendum
 tradere Dn. Sivero, discet profecto, experientia magi-
 stra, contrahendas omnino esse Auditoribus Doctrinarum
 methodos, nec multiplicanda præter necessitatem fidei
 dogmata, quod vitium hodie adhæret nonnullis Acade-
 micis. Scilicet eo tendunt boni Viri, ut multiplicatis
 dogmatibus, mixtisq; cum fundamento rebus aperte præ-
 ter fundamentalibus, suam mundo commonstrent soler-

C 2

32

nam & dexteritatem in detegendis novis Schismaticis, Hæreticis & Indifferentistis. Verum caveamus ab indignatione Auctoris verbi, Spiritus S. cui despotica ista œconomia & verus Neo-Papismus, Romano parum melior, placere neutiquam potest. Multiplicatio legum Republicæ bene constitutæ inimica, non potest non peccatorum multiplicationem progignere; hinc fiat ad multiplicationem dogmatum applicatio.

Pag. Dissert. 25. §. 26. suspectorum moliminum aliud specimen prodi affirmat in verbis istis Tractat. meæ pag. 8. §. 6. Aber wissen und wissen ist zweydeley / usque ad finem paginae. His immediate subjungit historiam Papæ cujusdam, qui per suffixam imaginem suæ inscriptionem, omnia sibi tam arroganter tribuit, ut prudens homo clam subjiceret verba: *Hic DEus nihil fecit.* Quæ Subscriptio, si Auctori credimus, ad mea verba, *Synergismum* [en novam hæresin, quæ cum Calvinismo, prius mihi affecto, haud facile conciliatur!] manifestè spirantia; non male quadrat. Sed pessime quadrare quis non videt? Aliam sanè ad mea verba relationem non habet historia ista, quam ad angulum baculis, Germani dicunt: *Eine Faust auff ein Auge.* Cui persuadebit Animadversor, thesin nuper adductam Synergismum spirare? fungis accucurbitis, non humanis mentibus, præjudicio liberatis. Sed otia hic mihi fecit Dn. Siverus, dum à me ad celeberrimum D. Buddeum, moxq; ad eruditissimum Dn. Rambachium pedem transfert, quibuscum per integras duodecim paginas, sive à §. 26, usq; ad §. 36. me paulisper relicto, acriter disputat de Theologia Irregentorum. Fatetur, ipsum D. Buddeum, incautis meis loquendi formulis occasionem suppeditasse in *Ulagoge Historico-Theologica* I, III. X. pag. 81. Fatetur

Fatetur Dn. Rambachium idem mesum sentire & scribere
 in Dissertat. de Idoneo Sacrar. Literar. interprete. Potue-
 rat, salva veritate, adicere, quod præter hos integram
 restium nubem ex meis partibus stantem habeam, ut de o-
 ptimo teste, videlicet Sacra Scriptura, nunc nihil dicam.
 Quoniam vero ad Buddeum Rambachiumque sese convertit
 Animadversor, respondeat & pro se, & pro suo Præcepto-
 re, *vix ex a'icis*, celeberrimis Rambachius, cum quo cau-
 sam communem habere mihi gratulor, quemque in Ecclesia
 emolumentum diu superstitem esse jubeat, diu incolumem ser-
 vet divini Numinis clementia.

Expedito cum aliis negotio, pag. 43. §. 36. 37. 38. ad
 me revertitur Dn. Siverus, opusculi mei pag. 9. præsertim illa
 verba: Das vom Vater der Lichte durch die Schrift
 erleuchtete Glaubens-Auge dringet in der andächti-
 gen Betrachtung *re*, perstricturus. Revocat hic in dubi-
 um: *an per Scripturam illuminatus fidei oculis hunc incomprehen-
 sibilem effectum optinere possit, & quidem in hac vita?* Dubitandi
 rationem addit, quod Scriptura Sacra ex qua omnem cogni-
 tionem derivandam esse dixi, scientiam in hac vita nobis con-
 tingentem, non nisi adstrictam admittat I. Cor. 13. 12. Spe &
 Fide talem Rom. 8. quod cognitioni per Telescopium comparetur;
 celo vero sit reservata cognitio ipsius conspectus &c. &c.
 Conglomeratis insuper quamplurimis sacri codicis testimo-
 niis, quæ, re pensitata, plus pro quam contra me faciunt,
 concludit tandem, non posse adversus S. Scripturam magis in-
 concinnam effingi efformationem, præter illam, quam in meis asser-
 tis invenisse sibi persuasum habet. Affirmat quoque, me in omni-
 bus hisce ludere, ex suo fortassis ingenio, alios judicans, &
 quantum in illo est, res maxime serias ludibrio infidelium

C 3

expo

34

32

exponens; quod ut illi condonet Pater misericors, amicus precor. Observetur agi hoc loco de visu spirituali, quapropter, nisi obstaret charitas, potueram brevibus rem absolvere, nihil prorsus Auctori reponens, praeter istud Senecæ: *Visu carentem magna pars veri latet*; At ex quibusdam Dissertationis Siverianæ locis, timorem DEi, me iudice, spirantibus, spem concipio. Adversarium meum non omni pietatis sensu destitui, licet Pseudorthodoxiæ amore captus, eò abripi se patiatur, ut contra veram veræ pietatis praxin nonnulla attulerit, pia menti parum congrua. His merito accenseri debet §. 38. ubi ex fundamentis nuper monstratis, fidei oculum expungere, immo vitam spiritualem extinguere, verum cordis cum cælo commercium intercludere, meique Libri lectionem simplicioribus suspectam reddere sedulo allaborat. Pro mea defensione sufficiat, ad ipsa verba eorumque cum reliquis Opusculi locis analogiam, remississe pium Lectorem, qui nil ibi leget, nisi quod in suo ipsius corde, Fidei Flamma accenso, experietur. Si bona Fide mecum egisset Auctor, debuisset ad uberiores loci allati illustrationem & confirmationem, ea quoque adducere, quæ mox pag. 12. i. e. ad calcem ejusdem Capitis clara satis & apodictica exstant, sicque sonant: *Hierbey mercke / daß obwohl Glauben und Schauen einander entgegen gesetzt werden / 2. Corint. 5. 7. Rom. 8. 25. nemlich nach dem allgemeinem und Buchstäblichen Verstande / so doch giebt es auch gewisser massen ein Schauen / derer unsichtbahren Dinge / wie 2. Corint. 4. 18. uns die wir nicht sehen auff das sichtbahre / sondern auff das NB. unsichtbahre. Lutherus spricht: Der Glaube leitet dich*

dich hinauff / daß du eitel überschwengliche
 Gnade und Liebe siehest / das heist recht
 GOTT schauen / nicht mit leiblichen Aus-
 gen / damit ihn niemand sehen kan in die-
 sem Leben / sondern mit dem Glauben / der
 sein väterlich freundlich Herz siehet / darin kein
 Zorn und Ungnade ist 2c. Tom. 5. Jerl. fol. 359. a.

quæ ultima Megaländri nostri effata cum mea mente omni-
 no conveniunt. Ceterum, concedit Animadversor, aucto-
 ritate Paulina coactus, illam rerum caelestium contemplatio-
 nem; quæ mortalium mentibus tribui potest, cognitioni per
 Telescopium comparari, hinc querô; nonne cognitio vel
 visio per Telescopium etiam est vera visio, sit licet valde
 imperfecta, & visioni, quæ à facie ad faciem dicitur, longe
 postponenda? Quod autem præter hanc contemplationem,
 mediante verbi speculo vel Telescopio factam, nihil ego
 prorsus docuerim, ex istis meis clarissime constat: Das
 durch die Schrift erleuchtete Glaubens-Auge bedie-
 net sich der Bilder und Formen / so wie sie in der
 Schrift stehen / umb sich das unsichtbare sichtbar
 zu machen. His junge verba Pauli Hebr. 6. 18. 19. *Spem
 propositam resinemus, quam velut animam anchoram habemus tu-
 tam ac firmam, & ingredientem NB. usque in ea, quæ sunt in-
 tra velum, quod præcursor pro nobis ingressus est Jesus.* Crepet
 hic suum Sivertus dissentum. Oculati iudices pronuncient,
 Monendi sunt adhuc, qui Librum meum non legerunt, my-
 sticas istas locutiones: Vergötterung / Christ-Formigkeit /
 Einsenkung und Verwandlung ins Licht 2c. ab Aucto-
 re,

se, dum contra me scribit, rejectas, meas neutiquam esse; nec in meo libro legi & quanquam eadem, partim ab ipso Luthero, partim ab aliis bonis viris, bono sanoque sensu, plus vice simplici sunt usurpatæ, præstat, fateor, eorum loco phrasibus uti, sinistris malevolorum interpretationibus obnoxiiis.

Vidimus supra, Dn. Siverum, Dissertat. pag. 25. §. 26. Synergistarum errorem, non ineptè minus, quam injustè mihi affingere. Idem eodem jure pag. 46. §. 40. facere conatur, & quidem sumta occasione ex verbis Tract: mei Pag. 10. §. 6. Und das heist das Evangelium / oder die seligmachende Lehre zu einer Hypostasi machen / da man x. Hic imprimis illud, Doctrinam salutiferam in Hypostasin traducere, Animadversori, non indignationem tantum, sed fremitum movet. Verum frenat orbis & orcus, ut ipse ait, veritas inconcussa manebit. Enimvero quid in hac loquendi formula, quod non toto die, sine contradictione, ex suggestu pronunciatur? e. gr. Macht euch das Verdienst Christi recht zu Nutz & quæ sunt id genus alia. Quid hic Synergistici? nisi dictum explicatum fuerit ad Synergistarum mentem. Quoties in salutis negotio fieri ab homine aliquid dicitur, probè novimus, præsupponi in subjecto agente, vires spirituales, per gratiam prævenientem, præparantem & operantem, eum in finem collatas, ut earum usu homo, quod suum est, faciat, soli DEo omni gloria relicta, utpote quæ nil nisi mera gratia movente, prævenit nobis in transgressionibus mortuis, nosq; resuscitavit ad ambulandum in novitate vitæ, ita ut, qui in justificatione habuimus nos passivè, in renovatione habeamus nos etiam activè per motus viresque spirituales in regeneratione acceptas, agendo simul cum Spiritu S.

tu S. agente Rom 8. 13. 14. quanquam subordinatē, non col-
 lateraliter. Observetur itaq; me aperte loqui, non de ir-
 regonitric. quorum nulla sunt vires, quique bonum DEI
 verbum seu doctrinam saluificam, de qua nobis est sermo,
 non gustant, immo non curant, nec nisi somnolenter &
 perfunctorie tractant, sed de renatis, qui ut in fide NB.
 crescant & indies renoventur, fidei semen, nempe Evan-
 gelion pie ruminando & meditando, in succum quasi &
 sanguinem sibi convertunt, sicque in Hypostasim traducunt,
 quod Dn. Sivero Synergisticum audit. Nonne Paulus quo-
 que Synergista illi videtur, ubi jubet cum pavore & tremo-
 re salutem operari; quod cum meis verbis pari passu am-
 bulat, ut sexcenta alia taceam, in quibus homo ad labo-
 rem, nisum & conatum spirituales strenue impellitur. Iplis
 quoque Tyronibus notum est. Illud divi Augustini di-
 cterium: *Qui creavit te sine te, non solvabit te sine te.*
 Quod, licet, me ultro fatente, bona interpretatione in-
 digeat, profectum tamen est, non à Synergista, sed ab a-
 cerrimo Synergistarum & Pelagianorum hoste, immo peste
 & felici expugnatore, qui in vindicanda gratia, nimium
 quantum zelo suo indulgens, ab altero extremo parum
 distabat,

Hæc ea sunt, Reverende Weidnere, quæ animadver-
 sionibus Siverianis reponere necessum duxi, adductus qui-
 dem, non magna spe, Adversarium flectendi vel convin-
 cendi, utpote experientia edoctus, dari in gente Acade-
 mica, quos genuisse videtur duris cautibus horrens Cauca-
 sus, quicq; nullis, ne solidissimis quidem rationibus, à suo
 præjudicio magis dimoventur.

Quam si dura flex aut stet Marpesia cantes. Sed quic-
 quid sit de Dn. Sivero, dantur, quibus ex alio luto præcor-
 dia

D

34

32

dia finxit Altissimus. Hi pronuncient, uter nostrum causa
 cadat, & an loca ex opusculo meo adducta talia sint, quæ
 convitiis & sarcasms proscindi mereantur. Quodsi Du. Si-
 verus, vel post *carota* latens alius quisquam, cavillis, san-
 nis & contumeliis me laceßere pergat, hic omnes monitos
 velim, me amplius nihil quicquam responsurum, sed pari
 loco habiturum chartas convitiis & scommatibus destinatas,
 quo vesparum bombos, aut cornicularum garrulas voces.
 Sufficiat me semel ita respondisse, ut certus sim, quod,
 si nec *Tibi*, *Vir venerande*, nec *Tuo* discipulo, multis tamen
 aliis, fecerim satis. Ceterum non decet ministros Jehovæ,
 inania bella gerere, & fraternum pectus virulentis ictibus
 mutuo confodere. Si vana inclarescendi cupidine tangun-
 tur Academici Vestri, Vestrum erit svadere, ut themata
 seligant innocentiora, nec sub specie fidei vindicanda, fi-
 dem evertant, charitatem profligent, & iusta Jehovæ vin-
 dicis iudicia in suam cervicem arcessant. Quod restat, *Te*,
Vir venerande, cum omnibus, quæ *Tibi* sunt curæ, Deo O. M.
 supplex commendo, qui sum, dum super sum

**Vir plurimum Venerande,
 Amplissime Nobilissimeq;**

Dabam Hackenberg,

die 24. Novemb.

Ano. MDCCXXX.

ad quævis amici animi specimina
 Tibi exhibenda, nunquam non
 paratissimus

ERICUS PONTOPPIDANUS.

P. S.


P. S. Placuit subjungere iudicium Viri Summè Reverendi, Francisci Mölleri, Praepositi Flensburgensis longè Meritissimi, de opusculo quaestionis latum mihi que per literas, Anno 1727. die 19. Augusti redditum: Ich gratulire M.H.Hn. Bruder / wegen des guten Dienstes / so er GOTT und der Evangelischen Kirchen / durch Edirung seines Safft- und Geist-reichen Buchs geleistet / welches ich mit grossen Vergnügen durchgelesen / wie es denn bey unterschiedlichen Pröbsten in dem jüngstgehaltenen Synodo, und bey andern frommen und gelehrten Predigern / die ich auff der Reise gesprochen / Approbation gefunden. GOTT gesegne zu seines heiligen Nahmens Ehre / noch weiter die verliehene Gaben / deutlich / erbaulich und nervöse die Göttliche Wahrheiten vorzutragen / und den Eyffer / so wohl die Evangelische Lauterkeit zu befestigen / als auch die Heuchelen / Sicherheit und dem laulichen Wesen / ihre Glaubens-lose Blöße nachdrücklich zu zeigen / wobey M.H.Hr. Bruder sich nicht wollen befrembden lassen / daß es ihm wie so vielen rechtschaffenen Männern / die auff den lautern Sinn in Christo gedrungen / ergehe. GOTT rüste ihn dagegen mit Gnade / Krafft und Freudigkeit / u. s. w.




44

F. 2. *Handwritten Latin text, heavily faded and mirrored. The text is difficult to decipher but appears to be a formal document or letter.*







ferens, quod ista utriusque rei ἱσοστυλῆς
 fuerit commendabilis, facile colligimus e
 ri illo, quo Deus ipsos dignatus est, com-
 In hoc enim, per crebriorem Θεοφασίαν illu-
 major efflorescebat erga Deum *fides*, quo
 t istius familiaritatis gratia. Ab ista autem
 m una cum sanctimonia, qualem justum *fi-*
 ficium requirit, abfuisse, satis cognita & ab
 comprobata ipsorum integritas ut suspi-
 bis haud permittit. Qui istius elogii, quo
 האהבה אתה *to ambulare cum seu coram*
 ur Gen. V, 22. 24. c. VI, 9. c. XVII, 1. em-
 mediocriter tantum perspicit, is sane
fidelitatem tam arcte deprehendit jun-
 hil & arctius & aptius cohærere possit.

ia prophetica unum tantum atque alterum
 ducturus commendo meditationem in au-
 Davidis Ps. II, u. *Exultate cum tremore, freuet*
 ttern: & istud Jesaiæ, seu apud ipsum ipsius
 XLV, 24. *Omnis lingua jurabit, dicens, in Je-*
re justitiam & robur.

id *exultationem* est evangelica, *fidem*, seu *fi-*
 filiorum est erga Deum, & quæ redem-
 erga redemptorem Messiam, accendens &
 ista vero ut in justo ac demisso sese officio
 eidem adjungitur *tremor*, quem regia re-
 majestas iis, qui paupertatis suæ spiritualis
 gnitatis sensu premuntur, incutit; at ita
 s, ut, pro adjuncto gaudii spiritualis privi-
 um non deiciat, sed tantum ad demissam
fide-

